

cordibus contemplantes, æterna exultatione gaudebunt, divinæ charitatis & mutuæ dilectionis possessione deo suo in æternum & inuicem sibi adhærebūt, receptis cū incorruptionē atq; immortalitate corporibus municipatum patriæ coelestis accipiēt, atq; eius in æternum ciues effecti præmia promissa reportabunt. Ibi eius exuberabit tanta lætitia, tanta cœlestiū gratia gaudiorum, ut & remuneratori suo pro tantis muneribus gratias agant, & nullum fastidium ex ipsa affluentí bonorum perceptione sustineant. Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales, quia humanorum peccatorum tanta erit ibi & tā perfecta mundicia, ut habeant unde mundati deo gratias agant, non unde offensi antiquis cordibus peccatorum erubescant, quia nec ibi ulla peccata, nec peccatores erunt, & ibi qui fuerant iam peccare non poterunt. Nec latebit iam perfecte beatos aliquid secretorum, qui, q; est præstantius longe, ipsum uisuri sunt mundis cordibus deum: Quādoquidem humana creatura ita perfecta erit ut in melius aut in deterius ultra mutari non poslit. Cuius humanae substantiæ ad conditoris sui similitudinem sublimitate omnia bona quæ naturaliter accepta corruperant peccado, mutabūtur in melius, & intellectus sine errore, memoria sine obliuione, cogitatio sine peruagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensatione, incolumitas sine debilitatione, salus sine dolore, uita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, & tota sanitas sine morbo. Quoniam quicquid hic humanis corporibus, aut feratū morsus, aut improuisi casus abstulerint, aut malarum ualetudinum genera diuersa decerpserint, aut humana crudelitas amputauerit, aut ignis, aut quælibet alia res aliquid debilitatis intulerit, aut etiam senectus ipsa satis onerosa negauerit, hæc atq; his similia corporum damna una ibi resurrectio reparabit, atq; ea corpora membris omnibus instauratis, incorruptibilis sanitas obtinebit. Propterea quicunq; erunt ibi, etiam sibi differentibus meritis ab inuicem distabunt.

Finis huius libri.

AD LECTOREM.

O P V S plenum pijs affectibus, subinde tamen iterans eadem. Agnoscas hominem uersatum in Augustini uoluminibus, nonnunquam uerba quædam ac sententias ueluti tessellas intertexit ex libris cōfessionum, alijsq; scriptis illius decerptas. Vehementer inculcat illud nihil, quod Augustinus docet sine uerbo dei factum esse. In summa, copiam probes citius quam ordinem.

## SOLILOQVIORVM ANI-

MAE AD DEV M LIBER.

*De ineffabili dulcedine dei. Cap. I*



OGNOSC A M te domine cognitor meus, cognoscam te uirtus animæ meæ. Ostende te mihi consolator meus, uideam te lumen oculorum meorum. Veni gaudium spiritus mei, uideam te lætitia cordis mei. Diligam te uita animæ meæ. Appare mihi delectatio mea magna, solatium meum dulce, domine deus meus, uita mea, & gloria tota animæ meæ. Inueniam te desiderium cordis mei, te neam te amor animæ meæ. Amplectar te spōse cœlestis. Exultatio mea summa intus & extra, possideam te beatitudo sempiterna, poslideam te in medio cordis mei, uita beata, dulcedo summa animæ meæ. Diligam te domine fortitudo mea, dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus. Amem te deus meus, adiutor meus, turris fortitudinis mihi, & spes mea dulcis in omni tribulatione mea. Amplectar te bonum, sine quo nihil bonū, fruat te optimum, sine quo nihil est optimum. Aperi penetralia auriū mearum uerbo, quod est penetrabilis omni gladio anticipi, ut audiā uocem tuā. Intona domine desuper uoce grādi & forti. Tonet mare & plenitudo eius, commoueat terra & omnia quæ in eis sunt. Illustra oculos meos lux, incōprehensibilis.